

ut dixi, erat factus; mox Attendulus in Mediolanenses fines iterum transgressus, Tybertum Brandolinum cum legato equitatu portis adequitare jubet, Venetisque signis in conspectu hostium constitutis, Mediolanenses ad libertatem vocare. Sed ubi nihil moveri ab hoste apparuit, conversis alio viribus, Ticinum usque Venetus prædabundus pervenit, ingentique præda ex Ticinensi abducta, iterum publica signa sunt Mediolanum admota, iterumque cives ad libertatem vocati. Hic quoque, ut ad Abdiam, quatuor viri fortes pro portis urbis equestri sunt dignitate donati, Tybertus Brandolinus, Theotesalvius Bergomas, Lodovicus Malvecius, & Gilibertus Corregianus. Demum quia nullus in urbe tumultus secutus est, ea parte, qua signa admoverat, hostium agro fœde populato, Brivium Venetus oppugnatione in Brigantinis adortus, subito ad deditionem compulit: inde omnem Brigantinorum regionem armis oppressam diripuit. Ferunt hic crudelissime in miseros oppidanos sævitum, ita ut non viri solum, sed impuberes etiam usque ad bimulos sint trucidati, virgines corruptæ, matronæ miserabili modo vexatæ. Nec ea injuria a milite orta, sed ab hominibus adversæ factionis, qui ut suum in victos hostes explerent odium, velut feræ in cædem & omne proruperint nefas. Præda ibi parta ducentorum millium summam exæquasse dicitur. Cæterum Barrhium montem & ipsum vi captum Attendulus diripuit. Leucum deinde Larii caput, multis diebus oppugnatum, capi non potuit: pleræque ad hæc valliculæ lacui vicinæ, quarum incolæ, quia in fide mansuri non videbantur, in prædam & ipsi concessere. Et quum jam omnia ab Abdia Comum usque cum utraque Larii ripa in Venetorum potestatem venissent, miles præda onustus circa flumen est reductus.

*Multa circa Larium damna a Veneto hostibus illata.*

Cæperat interim civitas pestilentia laborare: qua indies valescente, supplicationes circa sacras ades sunt indictæ, & preces ad aras Divorum, quæ vicatim per urbem religione occupatam ad id tempus erant instructæ: nocturni ad hæc ignes passim excitati, multis variisque odoramen-

*Pestis.*